

negocia exierant, præsidium missas, atque octo Genuensium naves mercibus onustas circa Rhodum ab his interceptas, quæ ingenti civitatis gaudio sint postea Venetias missæ. Non possum non mirari, traditum esse a quibusdam, quinque Pisanas cum Ligusticis Venetias adductas: quum Pisanis auxiliaribus Veneti paucis ante annis in Syria adversus Ligurem depugnassent: ac non multo post cautum sit Pisanis, ut Venetorum sociis, in iis induciis, quæ cum Genuensibus Philippi Regis interventu sunt pactæ. Qui ad Cydonis dirutæ, & mercatoriæ navis interceptæ, ultionem triremes missas tradunt, non circa Rhodum, sed inter Tyrum & Ptolemaidem cum valida Genuensium classe, quæ triremes octo & viginti habuisset, dimicatum ajunt; atque utrisque suorum vicinitatem locorum animos aliquanto ad pugnam promptiores fecisse. Demum hic quoque rem Venetam superiorem fuisse, navesque ex hoste quinque numero captas.

Sed dum hæc mari geruntur, Zenus Princeps decimo-septimo sui Ducatus anno moritur: Laurentius Tepulus, Jacobi Principis filius, ei successit. Prima hujus administratione, quum duo potentissimi Italiæ populi in armis essent, vulgoque crederetur, ex eo certamine præter incommoda, quæ & multa & magna ad eam diem Galli, & alii, qui in Syria erant, adiissent, adhuc longe majora pluraque adituros: Clemens Quartus per legatos Venetos Genuensesque ad inducias, si ad pacem animi tam cito inclinari non possent, magnopere hortatur. Quod ut commodius transigi posset, petiit ut legati Viterbium ad se utrinque mitterentur. Hoc ipsum ut facerent, Galliarum ac Siciliæ Reges precibus contendere, quisque suam ad faciendam pacem operam pollicentes. Missi ad Pontificem legati, qui post aliquot menses infecta re domum abiire. Fames ingens per id tempus civitatem invasit, frumentandi facultate ex Sicilia Appuliaque negociatoribus adempta. Genuensibus maria infestantibus, nemo erat qui publicis commodis suo privato periculo consultum vellet. Opus igitur erat valida classe, quæ frumentatores citro ultroque

1266

*Octo Genuensium triremes circa Cyprum captæ, Venetias sunt perductæ.*

*In Syria quoque vincuntur.*

1268

*Laurentius Tepulus Dux creatur.*

*Vicina urbes frumentationem Venetis negant.*